tam, vel suscipiendam ex eis ex matrimonio supradicto nuntiandi legitimam, impedimento consanguinitatis huius modi non obstante plenam, et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis Pontif. nostri Anno Quinto.

1271. 1299 d. 25 Mars. Paris.

Offentligt intyg ifrån Paris om den testamentariska anordning, som Kaniken Hemming från Upsala derstädes gjort, af sin qvarlåtenskap.

A. 7. a. 1. 31.

Vniuersis presentes Litteras inspecturis . . Officialis Curie parisiensis Salutem in domino. Notum facimus quod in nostra presentia personaliter propter hoc constitutus dominus Hemingus Canonicus Ecclesie vpsalensis in Regno Swetie attendens & considerans nichil cercius morte & nichil incercius mortis hora, cupiens de bonis suis causa sue ultime uoluntatis disponere, testamentum suum condidit coram nobis in hunc modum. Jn primis si contingat ipsum fatis discedere vult & precipit quod Decretales ipsius que bene valent viginti sex libras parisienses vendantur, & totum precium ea rundem expendatur in edificationem minoris domus vpsalensis existentis parisiis, exceptis quatuor libris parisiensibus, in celebratione missarum ob remedium anime sue parisiis conuertendis. Omnes vero alios libros suos legat & assignat idem dominus Hemingus cuidam scolari pauperi, scilicet Andree dicto Calis diuidendos per ipsum inter se, ac quosdam alios Cognatos Hemingi memorati, qui videlicet libri sunt, Gaufredus Tancredus, summa Rolandini cum glosulis, Codex, mandagotus de eleccionibus, liber fugitiuus, Egidius de fuscare, sextus liber Decretalium, omnes Decret*ales* extrauagantes, Cronica, maritiniana, libellus de Marscalchia equorum et multi alij libelli iuris cum quibusdam septem quaternis in quibus continentur nobilissima dictamina jtem in vno volumine Theorica planetarum, Canones, tabule Toletane. Jtem Geometrica cum commento campini. Jtem ars metrica boecij jtem tres libri musice. Jtem liber quadrantis & ipse quadrans. Jtem algorismus, compotus, spera. Jtem Lucanus & omnes virgiliani. Jtem super oraciones scripta, Methaphisica, liber phisicorum. Jtem mappa mundi. Jtem tria cornua bubalina. Jtem quinque ciphi de nobilissima materia noui. Jtem vult quod prefatus andreas, habeat & percipiat omnes libros suos in swecia tam naturales, quam logicales & gramaticales, recipiendo ipsos a duobus Rectoribus scolarum vpsalie quorum vterque uocatur Nicolaus. Jtem omnia vestimenta sua parisiis silicet tabardum suum

fourratum de varijs pellibus & supertunicale, cum Gardetorso, & Tunica totum de uno panno. Jtem supertunicale fourratum de cendallo viridi. Tria caputia, vnum tapetum varij coloris. vnam culcitram albam, vnum par bonorum lintheaminum vnam cistam siue archam in qua sunt res supradicte. Jtem quatuor manutergia tam de serico, quam de lino. Jtem in Regno Swecie in terra Natiuitatis sue, silicet in ølandia legat & confert iure testamentario dimidietatem omnium bonorum suorum tam mobilium, quam immobilium duabus filiabus fratrum dicti hemingi silicet filiabus Petri & Hulmstani, Et Reliqua medietas succedat tribus suis fratribus viuis. De omnibus alijs bonis spectantibus ad prebendam suam, vult quod dominus archiepiscopus vpsalensis ordinet cum futuro successore suo, si ipsum. .H. decedere contingat prout sibi videbitur expedire. Hoc saluo & excepto quod de molendinis in Husebÿ Lagheredhi, que per industriam suam edificata fuerunt, soluatur ad fabricam ecclesie vpsalensis annis singulis vna marcha denar. monete Sweuice, quia hoc propter deum se asserit vouisse & promisisse. Et ad premissa exequenda suos fecit, & constituit Executores dominum Hermannum Canonicum Lincopensem, et Andream dictum Calis antedictum. Jn quorum omnium testimonium sigillum Curie Parisiensis ad petitionem iamdicti Testatoris litteris presentibus duximus apponendum. Datum anno dominj. M°. CC°. Nonagesimo nono die Mercurij proxima ante Mediam Quadragesimam. Benedictus de Londis.

Sigillet bortfallet, remsan qvar.

1272. 1299 d. 27 Mars.

Thomas Johanssons Intyg, att den jord i Sverige, som hans slägtinge Ragnfrid sålt till Ärke-Biskopen och Dom-Prosten i Upsala, var hennes dels arfvegods och dels morgongåfvogods, samt blifvit med hans och dess Frus tillstånd bortsåld.

A. 6. a. 2. 47.

Vniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis Thomas Johanson Salutem in domino sempiternam. Constare volumus euidenter per presentes quod terram quam domina Rangfrid consobrina nostra in partibus swecie vendidit venerabili domino .N. archiepiscopo ubsulensi et domino preposito andree eiusdem ecclesie. nam predictam terram post mortem dilecti filii sui andree. hereditauit pars illius terre erat iam dicte domine hindradaxsgefh & cum consensu nostro et uxoris nostre katherine . . eadem

empcio